



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

49. An liceat aliquid dare proprio loci ordinario ex causa benedictionis, vel
susceptione habitus Religionis, seu professionis Monialium? Ex p. 1. t. 6. r.
24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

praecesserunt: nam donatio antidotalis, quae dicitur remuneratoria, non est proprie, & strictè donatio, ut aperte colligitur ex l. *Atrilius Regulus ff. de donationibus*. Et ratio est: quoniam, qui donat, gratis omnino, & liberaliter donat: sed remuneratoria donatio fit propter beneficium: quo aliquis bene de nobis meritus est: efficitur ergo hæc donatio de re ex gratitudinis virtute, moralique honestate debita, & hac de causa non debet computari inter simplices donationes. Ita Homobonus in *exam. Eccles. par. 1. tract. 1. cap. 6. quest. 28*. Valerus *ubi sup. ver. donatio, diffi. 2. num. 2*. Ioan de la Cruz in *director. conscient. part. 1. præcep. 7. art. 2. dub. 2*. Azorius *part. 3. lib. 11. c. 1. q. 2. & cap. 2. q. 3*. Molina de *inst. tom. 1. tract. 2. disp. 244. n. 3*: & communiter Iurisperiti, & Theologi: & in terminis nostræ Bullæ ita etiam docuit Hieronymus de Cenedo de *paupertate relig. dub. 27. per 108*. Bartholomæus à S. Fausto in *thes. Relig. lib. 8. q. 227. num. 4*. Riccius in *praxi, tom. 1. & in 3. par. decis. 227. n. 4*. Bonacina de *contract. disp. 3. q. 12. punct. 1. n. 6*. Paulinus Berti in *exposit. huius Bullæ, quest. vltim. cas. 7*. Ioan. Valerus in *differ. vtriusque fori, verb. munera, num. 97*. Rodriguez in *quest. regul. par. 1. q. 27. art. 6*. Scortia in *Constit. Pont. epis. 158. theor. 396*. Peirinus de *Relig. tom. 1. cap. 2. q. 2. §. 6*. & ante omnes Souza in *expos. huius Bullæ §. 1. n. 65. & 66*.

3. Restat modò respondere ad argumenta contraria. Idè ad primum respondeo, Pontificem in hac Bulla prohibere illas donationes indirectas, quæ sunt in præiudicium Monasterij: & tales non sunt donationes remuneratoriæ: sed potius in utilitatem, & beneficium ipsius Monasterij: quia hæc donationes conferuntur propter beneficia, & utilitatem receptam, & incitant benefactores ad magis in posterum beneficiendum. Ex quibus patet, licitas esse munera largitiones, quæ sunt benefactoribus Monasteriorum, & etiam iis, qui sperant aliquando posse benefacere, quia similes largitiones dantur ad lucrum, siue (si ita loquimur) ad usuram, & potius in commodum, quam in damnum Monasteriorum redundant: quod nota quia quotidianum.

4. Ad secundum, exploditur sententia illorum DD. ut rectè probat Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 6. disp. 6. n. 11. & sequent. Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 76. dub. 6*. Cenedo *ubi supra, numer. 18*. & alij, qui communi calculo afferunt, valere donationem inter virum, & uxorem, si donatio remuneratoria sit. Sed quia tales donationes remuneratoriæ à Religiosis factæ possunt esse vitæ merita, & excedere beneficia recepta, quaeritur modò.

RESOL. XLVIII.

An Religiosi, & Moniales possint largiri non solum dona equipollentia meritis, sed etiam ultra? Ex p. 1. tit. 6. Ref. 16.

§. 1. Negatiuè videtur respondendum: nam donatio remuneratoria debet meritis æquipollere, & in eo excessu est donatio simplex. Ita doctissimus Ioan. Petrus Sordus in *suis consiliis lib. 1. cons. 164. num. 33*. & Doctores penes ipsum, & probatur in l. *si sponsus §. circa, ff. de donat. inter vir. & vxor*. Vide etiam Parisium *lib. 3. cons. 90. num. 14*. Chalfaneum *cons. 7. num. 11*. Menochium de *arbitr. iudic. cas. 132. n. 5*. & alios.

2. Sed, quia, ut ait D. Thom. 2. 2. *quest. 106. art. 1*, gratitudinis lex postulat, sepe plus reddi, quam sit acceptum, idè in terminis nostræ Constitutionis puto cum Ioan. Vallero, *ubi sup. num. 97*. Religiosos,

Tome VII.

seu Moniales non solum posse, quantum satis est, ad satisfaciendum muneribus obsequiis, acceptis; sed etiam aliquid ultra, bitrio boni, & cordati viri, donare. Et pro hac sententia Valerus citat Cordubam, & Nauarrum, & illam nouissimè tenent Cenedo, & Sanchez *ubi supra*.

3. Et ut aliquid in particulari ad tollendos scrupulos dicamus, puto donationem remuneratariam esse contra Constitutionem Clementis, quando excedit valorem meritorum, & beneficiorum: in quarta parte. Ut si, v. g. valeant duodecim, & à Religioso, seu Moniali, donentur sexdecim. Sic tenet Barbosa in l. *que datus 34. num. 60. ff. soluto matrim. & Nauarrus de reddit. quest. 1. num. 91*. & probabilem hanc opinionem vocat Sanchez de *matr. tom. 1. lib. 6. num. 9*. & post illum Hieronymus Cenedo de *paupertate religiosa, dub. 17. n. 13*.

RESOL. XLIX.

An liceat aliquid dare proprio loci Ordinario ex causa benedictionis, vel susceptione habitus Religionis, seu professionis Monialium? Ex p. 1. tit. 6. Ref. 24.

§. 1. Negatiuè videtur respondendum ex verbis Bullæ. Et ita docet, illam explanando, Paulinus Berti p. 2. *fol. 416. col. 2*. Hieronymus à Sorbo in *compendio privileg. ver. dare, fol. 194*. & alij.

2. Non tamen reticebo, Ioan. Valerum in *suis differ. vtriusque fori, verb. munera, num. 81*. supra dicta verba Bullæ intellexisse de muneribus pecuniariis, ac de aliis donis, tanquam pro pretio prædictorum spiritualium: sed si gratis aliqua dentur in remunerationem, ut probat textus in *cap. 2. placuit. 1. quest. 2*. Ingratitudo enim ad minimum est peccatum veniale, ut probat D. Thomas 2. 2. *quest. 107. art. 3*. Absit tamen credere, Papæ mentem fuisse tollere gratitudinis virtutem, maxime à personis religiosis, eximereque Moniales ab ea obligatione, per quam cuncti tenemur exhibere nos gratos benefactoribus nobis c. *Ecll. iuncta ibi Glos. 12. quest. 2*. Faciunt latè tradita per Nauarrum, circa hanc obligationem gratitudinis, & remunerationis, in *lib. de reatib. eccl. quest. 1. n. 36*. Hæc omnia Valerus.

RESOL. L.

An Moniales cum licentia Abbarissa, seu Prælatæ possint præbere Confessario ultra iustum stipendium assignatum aliquid amplius?

Ex quo inferitur, quod quando famuli seruiunt Monasterio cum magna fidelitate, his etiam ultra salarium iustum potest dari aliquid amplius, quia non est proprie donatio, sed beneficij remuneratio. Ex p. 1. tit. 6. Ref. 17.

§. 1. Respondeo affirmatiuè, si seruiat cum magna charitate, patientia, assiduitate, &c. Ita in terminis Scortia in *Bull. Pont. epis. 158. theor. 395*. Bartholomæus à S. Fausto in *thes. Relig. lib. 8. quest. 227. num. 7*. vbi sic ait: [Quando famuli pro certo salario inferuiunt Monasterio cum magna fidelitate; his etiam, ultra salarium iustum potest dari aliquid amplius; quia non est proprie donatio, sed beneficij remuneratio.] Sic ille. Et ante hoc etiam docuerat Paulinus Berti in *explicat. huius Bullæ, quest. vlt. cas. 6. fol. 423*. Sed hæc omnia, & similia limita, & intellige nisi præcepto Superioris

Z 3 arcata